

L'Ordre fondé par saint Norbert y est pour beaucoup, car plus de cinq puissants couvents en sortirent, dont quelques-uns parviendront assez vite à un niveau égal à celui des anciennes abbayes bénédictines».

Le séjour du fondateur de Prémontré fut de courte durée en notre Province Picarde, à peine six ans, mais son action allait être primordiale non seulement dans le renouveau spirituel de notre région, mais aussi dans l'activité agricole ou artisanale de l'Église.

Cette étude sur l'iconographie de saint Norbert se poursuit et donnera lieu à communications verbale ou écrite dans un avenir plus ou moins proche.

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

**Iacobus Panhausen,
abbas Steinfeldensis (1582)**

1. Inter abbates eximios Praemonstratensis Ordinis saeculi decimi sexti, locus praeclarus tribui debet abbati Iacobo Panhausen, abbati Steinfeldensi. In Praefatione generali praemissa a C.L. HUGO, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. I, Nanceii, 1735, haec, inter alia legimus: «Joannes Herbelin, Branae Canonicum¹⁾, Joannem Schewingerberg, Canonicum Steingadii²⁾, Didacum de Vergara, Canonicum Retortae³⁾, Jacobum Panhausen, Steinfeldii Abbatem, de

¹⁾ De J. Herbelin, canonico S. Evodii Branensis († 1576), cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. III, Bruxellis, 1907, pp. 77-80. Fuit administrator eximius; plura manuscripta conscripsit. In necrologio Branensi, haec de eo dicuntur: «Idibus Aprilis commemoratio fratris Matthaei Herbelin, sacerdotis et canonici nostri, de confratribus suis bene meriti» De eo scripsit St. PRIoux, *Mathieu Herbelin, religieux prémontré*, Paris-Soissons, 1857, 32 pp.

²⁾ Nomen huius canonici Steingadensis non semper eodem modo scribitur. Cfr. de ipso: L. GOOVAERTS, *l.c.*, t. II, col. 165 s. Conscripsit opus: *Considerationes de quatuor hominis novissimis*. Quod opusculum insertum est a S. de LAIRUELZ, *Catechismus Novitiorum*. t. I, Mussiponti, 1623, coll. 809-818. Quae insertio ita introducitur a Lairuelz, *l.c.*, col. 808 s.: «De his novissimis plurima a pluribus praeclare scripta sunt: inter ea autem maxime arident ea, quae annis abhinc circiter quinquaginta a Venerabili P. Ioanne Schuueingerber, Coenobii Staingadensis in Bavaria quondam Priore, compendiose in tabulam redacta et a Theologis Academiae Ingolstadiensis approbata, dum circa annum millesimum sexcentisimum decimum quintum in eodem Monasterio visitationis causa cursum, reperimus: ea tanto libentius hisce nostris scriptis inserimus, quanto compendiosiori modo collecta ampliorem meditandi materiam suppeditant».

³⁾ Didacus de Vergara, canonicus Retortae († 1601). Cfr. L. GOOVAERTS, *l.c.*, t.

nomine tantum hos appello». In tractatione historiae canonicae Steinfeldensis, in eodem opere, t. II, Nancii, 1735, col. 862, paulo fusius de eodem Panhausen haec scribit Hugo: «Jacobus a Panhausen de Opoeteren, inter tumultuantium saecularium strepitus, electioni sese immiscere volentes, Abbas eligitur a Fratribus. Electum confirmavit Abbas Praemonstratensis⁴⁾, dein pro meritis eundem renuntiavit Vicarium Generalem Provinciarum Westphaliae, Vadegotiae, Ivel-diae, Daciae, Norvegiae, Saxoniae Poloniae, Moraviae, Sclavoniae. Quanta autem procuraverit Ordini bona, vir doctrinae apprime excultus, et Doctorum maecenas, tenax disciplinae, et vitae regularis propagator, in laboribus indefessus, et in opere efficax...».

De Abbate I. Panhausen fuse agit L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. II, Bruxellis, 1902, pp. 11-13. Praemissa succincta descriptione biographica, indicat Goovaerts seriem manuscriptorum commentariorum sese referentium ad vitam religiosam et spiritualem sodalium Ordinis, provenientium et conscriptorum ab ipso Panhausen, qua auctor eorundem. — Cfr. etiam H. VAN NEUSS, art. *Panhausen*, *Biographie Nationale*, t. XVI, Bruxelles, 1931, p. 344.

2. Electus est Panhausen abbas a suis confratribus die 4 novembris 1540. Praedecessor eius, Simon a Diepenbach obierat 26 Octo-

II, p. 334 s.; t. IV, 348. Fuit abbas (triennalis) in variis abbatibus Ordinis in Hispania. Cfr. N. BACKMUND, *Los Abades trienales de la Congregación Premonstratense de España in Hispania Sacra*, 1958, XI, p. 476. Remittit Backmund pro curriculo vitae Vergara ad ms. La Vid, ff. 165-166, iuxta B. H. N. (= N. ANTONIO, *Bibliotheca Hispania Nova sive Hispanorum scriptorum notitia* 2 ed. 2 voll., Matritii, 1788, I, p. 321). De Vergara attestatur C. L. HUGO, *o.c.*, t. II, col. 662: «Litteris apprime ornatus, Antiquarius insignis, observantiae zelo nulli secundus, quinquies in diversis Monasteriis electus Abbas, monumenta in singulis eruditionis suae reliquit, sagax Chartophilicorum suae reliquit. Vix credibile est quot ascetica et polemica opera composuerit, homo alioqui Reformationis, vel maximum portans pondus, et promovens propagationem. Historice scripsit suae Congregationis originem, progressum, eventa, ad annum 1601». — Huic encomio addere liceat ea quae leguntur in ms. Nancy 993 (1766), in quibus habentur folia abbati Hugo transmissa pro compositione suorum Annalium. Ibi haec leguntur (*l.c.*, fol. 185b): «Venerab. P. fr. Didacus de Vergara, vir quacumque laude superior, cedro dignus, mirum in modum laboriosus, spiritualium bonorum oecumenia unicus, observantiae reparator sanctae ac sincerae Reformationis promotor, fatali iamiam extinctioni Ordinis Praemonstratensis in Regnis Hispaniarum restitutor tantus, inquam, tantisque et maioribus economiis extollendus candidi nostri Norbertini coetus alumnus».

⁴⁾ Inde ab anno abbatia Praemonstratensis suberat cardinali d'Este, qua abbas commendatarius. Vicarius eius in rebus spiritualibus erat Amatus de Fonte (de Fontaine). Cfr. L. GOOVAERTS, *l.c.*, t. I, p. 263 s.

bris 1540. Panhausen proinde abbatiam regere incepit aetate in qua pax religiosa magnopere turbata existebat. Reformatio Lutherana in variis regionibus Germaniae tunc valde pacem Ecclesiae turbare inceperat⁵⁾. Addi tamen debet non videri ipsam communitatem Steinfeldensem directe valde agitatam fuisse dissensionibus theologicis et religiosis illius temporis. Praeterea auctoritas centralis Ordinis, abbatia Praemonstratensis, inde a pluribus decenniis «regebatur» ab abbate commendatario; ex quo facto harmonia inter varias partes Ordinis non parum in malum versa est. Capitula Generalia, si et in quantum celebrari tunc potuerunt, a perpaucis Abbatibus visitabantur. Iacobus Panhausen nulli Capitulo Generali interfuisse videtur. Ratio huius absentiae omnino legitima fuit, uti videtur. Pro ipso enim valuit ratio proposita et admissa in Capitulo Generali, anni 1584, (praeside Abbate Generali Despruets), ubi dicit Capitulum: «Capitulum habet excusatos Abbates Circariarum Floreffiae, Brabantiae et Flandriae, Frisiae et Germaniae, propter bella et excusationis litteras ad nos missas» (Ms. Laon, 538, p. 531).

3. Asserit Goovaerts, l.c., p. 11, abbatem Panhausen, sicut praedecessorem abbatem a Diepenbach, constitutum esse Vicarium Generalem pro Circariis Westphaliae, etc. Hugo, l.c., col. 382, idem dicit. Videtur tamen Panhausen parum vel nihil directe pro Ordine universo fecisse, aut potius facere potuisse. Nam in Capitulo Generali anni 1558, iniungitur abbati Thomae de Ham, abbati Vallis Dei (Laval-dieu), «ad visitandum et reformandum omnia et singula nostri Ordinis monasteria in Circaria Vadegotiae, Westphaliae et Iveldiae consistentia, et ab eisdem tallias seu contributiones ordinarias tam pro praesenti quam pro retroactis recipiendum; necnon ut proximo futuro Capitulo Generali, omni excusatione cessante, compareant, inthimandum et denuntiandum, super quibus litterae authenticiae in forma communi et consueta eidem decrevit expediri atque tradi» (Laon 538, p. 448). Decisioni isti Capituli anni 1558, iungi debet decisio Capituli Generalis anni 1561, in quo (l.c., p. 463) legitur: «Statuit idem Capitulum ut dentur litterae nomine Capituli commendatitiae ad Reverendum Dominum Abbatem Steinfeldensem (id est: Panhausen), ut ille praedictum Visitatorem (id est: de Ham) dignetur favore et subsidio prosequi».

⁵⁾ Abbas Steinfeldensis Simon von Diepenbach obierat, morte pestifera fractus, mense maii 1540; huic abbas, successit Iacobus Panhausen, ad munus abbatiale electus die 4 novembris 1540. Cfr. L. GOOVAERTS, l.c., p. 11.

3. In quantum fontes historici hucusque noti probant, abbas Panhausen in variis negotiis Ordinis ordinandis, et sibi concreditis, zelose munere suo perfunctus est. Plura sub hoc respectu indicari possunt. a. Cum occasione erectionis novarum dioecesium in regionibus hodiernae Neerlandiae, integratio illis sedibus episcopalibus nonnullarum abbatiarum Praemonstratensium instari videtur, valide sese interposuit Panhausen in favorem domuum sui Ordinis. Epistolae de hoc negotio tractantes referuntur a HUGO, *Annales*, t. I, coll. 326-330, et t. II, coll. 53-58⁶⁾. Haec evenerunt currente anno 1571.

b. Currente anno 1575, occasione visitationis peractae ab Abbate Floreffensi, Dupaix⁷⁾, praepositus parthenonsis Houtem S. Gerlaci, Portenzen, a munere suo amotus est. Et ipsius loco suffectus est Erasmus Goye. Hac occasione litteras scripsit Abbas generalis Despruets novo praeposito, Goye, huic inculando: «dictas moniales pie ac religiose doceas, et, si opus sit, compellas; numerum religiosum adaugeas». Addit deinde idem Despruets: «Mandantes insuper Reverendo Domino Jacobo van Panhuys, Vicario nostro, ut te foveat et defendat adversus dictum fratrem Portzen et alios aemulos, et compellat nostra auctoritate ut reddat omnia diplomata et cartas domus, quas ad dictum locum tutum se asportasse propter bella, juramento etiam interposito, coram praefatis patribus abbatibus asseruit»⁸⁾.

4. A. ZERLIK, *Das Stift Tepl in der Zeit der Glaubensspaltung*, in *Anal. Praem.*, 1963, XXXIX, p. 79, exponit ea quae in canonica

⁶⁾ Compendium satis latum huius negotii habetur apud P.E. VALVEKENS, *Les Visites canoniques des abbayes prémontrées au XVI^e siècle*, in *Anal. Praem.*, 1948, XXIV, pp. 108-111.

⁷⁾ W. Dupaix fuit abbas Floreffensis annis 1552-1578. Inde ab anno 1560 erat vicarius et visitator circariae Floreffensis. Praeses fuit Capituli generalis anni 1562; quo tempore Praemonstratum erat adhuc sub dominio Abbatis commentarii, cardinalis Pisani. Huic Capitulo generali solummodo duo abbates regulares assistebant: abbas Floreffensis, Dupaix, et abbas S. Ioannis Ambianensis, Antonius des Prés: Ms. Laon 538, p. 465. Capitulo generali anni 1561 iam interfuerat abbas Dupaix, simul cum pluribus abbatibus suae Circariae. In hoc capitulo concreditum est abbati Dupaix sequens munus: «Detur Domino abbati Floreffensi commissio de novo omnia et singula monasteria suae circariae visitandi et reformandi, necnon ab eisdem tallias recipiendi autoritate Capituli Generalis in amplissima et consueta forma, cum hac modificatione quod de omnibus a se factis dictum Capitulum postea certiorare habeat». *Ib.*, p. 460.

⁸⁾ Cfr. P.E. VALVEKENS, *Acta et Documenta Joannis de Pruëti* in *Anal. Praem.*, 1954, XXX, p. 261 s. Visitationem hanc instituerat abbas Dupaix simul cum abbate Vallis Dei (Lavalldieu), Thoma de Ham. Cfr. *ib.*, p. 261.

Teplensi ab Abbate Meuskönig⁹⁾ ordinata sunt ad hoc ut formatio religiosa iuniorum sodalium Abbatiae melius et efficacius promoveretur. Scribit 4. ZERLIK, l.c.: «Schon im Jahre 1575 hatte Abt Meuskönig durch den neuen Ordensnachwuchs aus die Klosterschule sein Kloster nach den Reformartikeln des Erzbischofs¹⁰⁾, und des Abtes von Steinfeld, der damals Ordensvisitorator von Böhmen war, weitgehend reformiert»¹¹⁾.

5. De manuscriptis operum compositorum ab Abbate Panhausen in praesenti non immoramur. Sufficiat sub hoc respectu remittere ad ea quae referuntur a GOOVAERTS l.c.

6. Supra iam verba Annalistae Ordinis, Hugo, agentis de Abbate Panhausen citavimus. Laudatur Panhausen ibidem qua «Doctorum maecenas». Indicationes magis praecisae sub hoc respectu ab Hugo sane desiderari possent. Casu quasi fortuito, indicatio quaedam determinata invenitur in editione operum exegeticorum Theophylacti, archiepiscopi in Ochrida, in Bulgaria († 1108). De ipso Theophylacti ac de eius operibus exegeticis fuse hic agendum a nobis non est¹³⁾.

⁹⁾ Ioannes Meuskönig abbas erat Teplensis annis 1559-1585. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. I, p. 317.

¹⁰⁾ Archiepiscopus iste est Ioannes Lohelius (1612-1622). Erat canonicus Strahoviensis; cuius coenobii effectus est abbas anno 1586. Curriculum vitae paucis verbis textitur a A. ZERLIK, l.c., p. 259 s.; et multo fusius apud L. GOOVAERTS, o.c., t. I, pp. 523-531. Cfr. insuper C. PICHERT, *Johannes Lohelius. Sein Leben und seine Tätigkeit im Prämonstratenserorden und als Erzbischof von Prag* in *Anal. Praem.*, 1927, III, pp. 125-140, 264-283, 404-422. A. STARA, *Chotieschauer Archivalien* in *Anal. Praem.*, 1932, VIII, p. 43; 45. Idem STARA, l.c., p. 95 citat litteras Lohelii, archiepiscopi, diei 16 augusti 1616. Lohelius insuper sese interposuit ad hoc ut corpus S. Norberti ex Magdeburgo ad Pragam transferretur. Cfr. P.E. VALVEKENS, *La «canonisation» de saint Norbert* in *Anal. Praem.*, 1934, X, p. 45. Commmercium epistolare habuit Lohelius cum abbate generali Despruets. Cfr. P.E. VALVEKENS, *Acta et Documenta Joannis de Pruetis, Abbatis Praemonstratensis* in *Anal. Praem.*, 1957, XXXIII, p. 119 (Lohelius ab abbate generali Despruets proclamatur Vicarius generalis pro circariis Bohemiae, Hungariae, Moraviae et Austriae); p. 130 s.; 131; 1958, XXXIX, p. 66.

¹¹⁾ Abbas Panhausen.

¹²⁾ Idem.

¹³⁾ Cfr. de persona et operibus Theophylacti: B. KOTTER, *Theophylactus v. Achrida* in *Lexicon für Theologie und Kirche*, 2a ed., t. X, Freiburg, 1965, col. 92; R. JANIN, art.: *Théophylacte* in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. X, le partie, Paris, 1946, coll. 536-538. «Théophylacte joua un grand rôle dans le monde ecclésiastique et il est à bon droit considéré comme un des prélats les plus représentatifs de l'Eglise byzantine au XIe siècle. Il a eu en effet la formation solide, la vaste érudition, la connaissance approfondie des Ecritures et des Pères, mais aussi des préventions contre tout ce qui regarde Rome et la papauté, d'où des arguments parfois inattendues et des puérilités pour réfuter les soi-disant erreurs des Latins» (l.c., col. 538).

Opera illa archiepiscopi Theophylacti eduntur in *Patrologia Graeca* (Migne), et quidem in t. CXXV, Parisiis, 1864. In hac editione (l.c., coll. 405-484), longa habetur praefatio de authenticitate et valore exegetico obiectivo operum Theophylacti. Referuntur ibidem duae litterae Laurentii Sifani. Litterae istae diriguntur tum «nobilibus, generosis, atque magnificis viris Marco et Joanni Fuggeris: Laurentius Sifanus, Prunsfeldius, J.U. Doctoris; tum clarissimo excellentissimo viro D. Joanni Pannonio, Caesareae Majestatis medico et historiographo». Agit Sifanis in his litteris de iis quae inquisivit et invenit et egit ad hoc ut textus nonnullorum operum Theophylacti tum graece, tum in versione latina parari ac edi possent. Litterae illae scriptae et missae fuerunt: «Ex monasterio Steinweldio XII. Kalendas Septembris, anno Domini 1567». Additque: «Bene vale. Raptim ex monasterio Steinweldio. X. Kalendas Septembris anno 1567». In hic litteris fatetur Sifanus se ex urbe (Coloniensi) fugisse ratione pestiferi morbi grassantis; ac sese refugium nactum esse apud Abbatem Steinfeldensem, ad hoc ut opus suum scientificum prosequi posset. Scribitque Sifanis: «Cum vitandae pestiferae contagionis causa me in patriam ex urbe recepissem, apud Jacobum Panhusium Abbatem coenobii Steinfeldii, virum et litteris, et pietate et prudentia ornatissimum, hoc opus sine maximo labore ac laesione oculorum descripsi».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.